



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1652-1663**

Sectio II. De Præcepto Septimo, ac Decimo Decalogi Problemata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)

SECTIO SECVNDA.

De Praecepto Septimo, ac decimo Decalogi Problemata.

CAPVT VIII.

Circà grauem in Furto quantitatem.

PROBL. I.

Grauis in furto quantitas potest, & non potest generatim definiri.

38
Definitio generatim potest.

IFFINIRI generatim potest v.gr. quatuor regalium quantitas. Quia hæc respectu omnium grauis reputatur, & minor leuis. Quatuor enim regales sufficiunt cuiuslibet puerumque ad vnius diei sustentationem ubique terrarum: quod minori quantitate vix assequi quis poterit. Sic Marchant. *resol. pastor. ad Decalog. c. 7. q. 2. Vega citand.*

39
Generatim non potest definiri.

Minimè potest generatim grauis quantitas definiri. Quia quod vni sufficit ad victum vnius diei, non sufficit alteri: & ut pauper quisque victit vna die, necessaria non erit quantitas assignata. Ergo quamuis demus, sufficere ad graue furtum quantitatem illam, quæ victui vnius diei sufficiat, minimè poterit generatim sufficiens quantitas assignari; quatuor namque regales diuiti non sufficient, pauperis verò victui superfluent. Distinguenda igitur personæ, à quibus quis furatur, & in particulari res definienda. Bonac. citandus.

40
Idem tenet, & confirmo.

Equidem grauis furti materia generatim definiri non potest. Quia circà eam tot sententia, quot capita. Nauar. *sum. c. 17. numer. 4.* ait, dimidium regalem esse materiam ad mortale furtum constituendum. Saloñ. *2. 2. to. 1. q. 66. art. 6. contr. 1.* vnum regalem. Medina *1. 2. q. 88. a. 8.* duos argenteos. Valent. *to. 3. d. 5. q. 10. pun. 16.* tres. Vega *sum. to. 1. c. 129. num. 11.* quatuor, vel quinque. Molina *to. 3. de iust. d. 685.* edocet materiam grauem esse ad furtum, id quod satis est ad conducendam operam fossoris terræ, vnius diei circà ordinarios. Manuel. *sum. to. 5. c. 118. n. 27. q. 9.* duos aureos. Bannes *2. 2. q. 66. a. 6.* maiorem requirit quantitatem. Vides plures Doctores nupis rigidè, plures nimis laxè opinari, nec quidquam posse generatim colligi. Probabilior planè mihi est Bonacina de contr. *d. 2. q. 8. pun. 1. n. 7.* sententia distinguens quatuor personarum genera. Primū illustriū, ac splendide viuētiū secundū viuētiū ex redditibus. Tertiū mechanicorū labore victitantiū. Quartū eorum, qui mendicando viuunt. Respectu personarum primi generis quantitas notabilis nummus aureus erit. Respectu secundi generis, quatuor, vel quisque nummi argentei.

Respectu tertij duos. Respectu denique quartij vnum, imo dimidium crediderim grauem constituisse quantitatem.

PROBL. II.

Peccat, & non peccat mortaliter qui rem paruum furatur, quam scit magni à domino pendere, ob idque magno angore afficiendum.

Certum est, ex aliqua circumstantia rem paruum posse esse mortalem in furto: & rem magnam venialem. Rogo itaque num mortaliter delinquit, qui rem paruum ab alio furto accipit, quam scit magni ab eo estimari, ob idque magno animi angore afficiendum, non tamen prorupturum in blasphemias aut alia mortalia? Exemplum exhibeo in eo, qui furatur malum sydonium à domino ex arbore, quam ipse suis manibus plantauit, vel inferuit.

Mortaliter delinquit. Quia scienter huiusmodi occasionem angoris proximo exhibere, graue quoddam est malum. Sic Nauar. *sum. c. 17. n. 1. Rebel. p. a. l. 3. q. 15. sect. 1. n. 8.* Nauarra de rest. l. 3. c. 1. n. 48. Sotus l. 5. de iust. q. 3. a. 3. Syluest. v. Furtum. q. 2. Adiciunt autem non peccare tunc lethaliter contra præceptum non furandi, sed solum contra charitatem: nam ex furto solummodo potest esse veniale materia leuitatem.

Non peccat mortaliter. Quia irrationabilis est dominus rem tam leuem tam acriter ferendo. Ità D. Tho. 2. 2. q. 66. a. 3. ad 3. Calet. ibi, & Nauar. *sum. Lat. c. 17. num. 2.* sententiam reformat.

Crediderim hoc esse verius, quia fur huiusmodi rationabiliter potest presumere, id non tam molestè ab eo esse ferendum, cum de minimis prudentes homines non multum curent. Quod si sciret graui molestia afficiendum dominum, probabilem satis primam esse sententiam reor, foremque fieri charitatis planè laesorem.

PROBL. III.

Si dominus rei levis furate alium decimat, credens illum fuisse latronem: fur multo hoc gerens, tenetur tunc, & non tenetur ad homicidij restitutionem.

Si is, qui furatur rem minimam, cognoscit probabiliter, dominum illum ob iracundiam suam blasphemias prorupturum, in periuria, aut alia

Secl. II. De Precept. 7. & 10. Problem. 343.

alia lethalia piacula, quamvis solo ioco (v.gr.) calamum furetur lethaliter peccat, non contra iustitiam, sed contra charitatem. Quia tenemur ex charitate peccata lethalia in proximis vitare, quando id commodè & sine gravi detrimento nostro possumus: imò erit etiam peccatum scandalizans, quia sine causa alij ad delinquendum ponimus offendiculum. Si autem ignorabat, cum in talia peccata prorupturum, solum venialiter in materia furti delinquit, licet postea dominus rei in peccata prorumpat. Lessi. l. 2. c. 12. dub. 6. n. 3. Tolet. l. 5. c. 16. n. 1. Filliuc. l. 1. c. 24. Sotus l. 5. dist. 9. 4. Hinc quaesierim, num si dominus rei levis huiusce ob iracundiam alij interimat, credens illum fuisse latronem, fur ad restitutionem homicidij teneatur, si ea intentione furatus fuit, ut ille sequeretur effectus?

46 Tenetur planè. Quia actus malo animo factus includit aliquando restitutionis obligationem, quam non includeret, si sincera fieret intentione: ut cernitur ex D. Thomae mente in eo, qui malitiosè impedit alium à consecutione beneficii: Ergo actus furti malo animo facti, ut dominus rei ob iracundiam conceptam ex re furata alium interimat, putans illum ipsum rem furto abstulisse, secuta occisione, ad restitutionem homicidij tenebitur: licet alioqui ad illam minimè teneretur, si absque tali animo furatus fuisset. Sic Conrad. p. 1. q. 128. in addit. Lazar. Et omnes, qui affirmant, cum qui Antonium occidit, quando scit, homicidium tribuendum esse Joanni, teneri Joanni de damno secuto, qui casus est omnino similis. Hi sunt, Sotus l. 4. de iust. q. 6. a. 3. ad 4. Caiet. l. 2. q. 62. n. 2. Corduba l. 1. q. 31. a. 3. & alij.

47 Non tenetur ad restitutionem, licet eo animo, & intentione rem modicam, imò magnam furto accipiat. Quia est hic duplex peccatum, alterum furti respectu domini rei furatae contra iustitiam, mortale, vel veniale pro rei furatae quantitate: alterum odij, ac peruersae intentionis contra charitatem respectu occisionis furandi actio ex sua natura non est illatua damni mortis alicuius tertij, & aliunde prauus animus & intentio homicidij penes furatorem illum mansit, & fuit tantum interna: nec enim eam domino rei furata manifestauit, nec tale homicidium patrari iussit; unde ad restitutionem non tenebitur. Ità Lessi. l. 2. c. 9. dub. 16. n. 113. Nauar. sum. c. 17. n. 71. Fagnan. Decal. l. 7. c. 2. n. 6. Et qui afferunt, ex peccato contra charitatem commisso non resultare aliquam restitutionis obligationem. Hi sunt Tolet. l. 5. c. 19. Nauar. sum. c. 17. n. 71. & in apollo. q. 2. monit. 4. Adrian. in 4. de restit. q. 10. & alij apud Toletum.

48 Profectò quotiescumque exterior actio ex sua natura non est talis, ut ex illa ordinariè sequatur alteri damnum: parum refert, ut illam quis gerat animo & intentione, uti malum ei obueniat. Unde cum actio illa furandi ex sua natura talis non est, ut ex illa sequatur damnum alteri, non incurrit restitutionis ex homicidio obligationem. Denique prauus animus, & damnata intentio licet faciat actionem illicitam, non tamen facit eam iniustam in ordine ad talem occisionem.

PROBL. IV.

In furto Reliquiarum datur, & non datur materiae paruitas.

Minimè datur. Quia vendere vel paruulam Reliquiam est peccatum lethale simoniae ergo & furari quantumuis paruulam Reliquiam graue peccatum erit. Et quia in Reliquiis non est quantitas, sed aestimatio spectanda: At cuiuslibet Reliquiae magna debetur aestimatio: Ergo: Sic innuit Palaeus 10. 2. r. 8. d. 1. sum. 6. num. 9. Adde, accipientem Reliquias ab Ecclesia etiam de licentia Episcopi, vel Praepositi, à furto sacrilegio non excusari: nam hi illarum non habent dominium: ut Sanchez 10. 1. sum. l. 2. c. 43. n. 23. edoceat: nec distinguit inter Reliquiam magnam aut paruam.

Datur equidem. Quia habenti Reliquiam in paruam materiae furto leuis iniuria irrogatur. Erit tamen hæc paruitas materiae in Reliquia arbitrandi in multo minori quantitate quam in materia parua communium mercium ad prudentis arbitrium, & Reliquiae aestimationem. Ità Portel. in dub. regul. v. Reliquiae sanctorum, numero quinto. Eligius Balaeus v. Furtum l. nu. 3.

Probabiliter satis dixerim huiusmodi furtum à lethali excusari ob materiae paruitatem, quamvis diuendere talem Reliquiam paruulam sit simonia graue peccatum. Ratio differentiae est, nam vendere Reliquiam paruulam semper est iniuria notabilis facta Reliquiae, cuius valor pro re caduca temporali aestimatur, cum res sacra quantumcumque parua, sit omni re temporaria pretiosior. At in furto non fit iniuria Reliquiae sed Reliquiam habenti. Imò aliquandò ex furto Reliquiae maior resultat veneratio, quando scilicet à loco ignobili, vel à persona infideli aufertur, ut decentius valeat collocari.



CAPVT IX.

Circa minuta Furti.

PROBL. V.

Quando quis ab initio proposuit animo furari ab uno multa minima usque ad notabilem quantitatem, singula actiones illorum minimorum sunt, & non sunt lethalia peccata.

Peccat quidem mortaliter in ea animi deliberatione, & postea committendo singula furtiola, mortaliter etiam delinquit. Quia illa praua intentio est mortalis, & cum singula furtiola ex ea procedat, & ea intentione fiant, ut ex illis quis direseat: absque dubio actu illo externo furtioli priorem renouat deliberationem, & ideo in furto continuusculumque

iustumque illorum mortaliter delinquentur; sunt enim executiones partiales illius intentionis mortiferae, & consequenter in illis est mortiferum peccatum; quidquid enim ex peccandi intentione mortifere fit mortale est peccatum. Sic Sanch. 10. 2. Decal. 1. 7. c. 21. n. 2. Lessi. 1. 2. c. 12. dub. 7. numer. 36. Rebel. p. 1. 3. q. 15. sect. 4. n. 30. Nauarra de rest. 1. 3. c. 1. num. 50. Sotus 1. 5. de iust. q. 3. ad 3. Nedina de rest. q. 10. Ludou. Lop. p. 1. instr. c. 93.

53
Non peccat
lethaliter.

In singulis furtiolis non committitur novum peccatum lethale, sed continuatur iam ceptum. Quia omnes illae acceptiones, & acceptionum retentiones censentur vna continuata illius prae voluntatis executio: committitur tamen novum peccatum veniale in singulis, & simul executio mortiferae intentionis continuatur, ita ut vnaquaeque voluntaria acceptio sit intrinsece peccatum veniale: extrinsece autem, & denominatiue peccatum mortale. Ita Lessi. 1. 2. c. 12. n. 4.

54
Prima sensu
adheret pro
babiliori qui
dem.

Probabile planè Lessij sententiam esse in dico. Attamen asseruerim, probabilius esse, in vnoquoque furtiolo novum peccatum lethale committi. Quia toties novè voluntas mortalis renouatur, & non continuatur solum sicut meretrix, quae est continuè exposita, si potest meminisse peccatorum numerum, & eorū, qui ad eam accessum habuere, tenetur illorum numerum in confessione explicare, & non sufficit, quod in singulis peccatis eadem voluntas mortaliter peccandi continetur. Quia non tam dicitur continuari, quam renouari; & parum refert, quod ad executionem mortalis, vel venialis renouetur, cum eadem voluntas, quae renouatur, de se sit mortalis.

PROBL. VI.

Quando quis animo proposuit furari à pluribus multa minima usque ad notabilem quantitatem, minimorum delinquit, & non delinquit mortaliter.

55
Non delinquit,
lethaliter.

Non delinquit. Quia qui intendit haec minima accipere à diuersis, nemini facit notabilem iniuriam, neminem notabiliter damnificat. Ergo non videtur peccare lethaliter. Sic Hierony. ab Angello c. 9. pag. mihi 130.

56
Lethaliter
delinquit.

Delinquit planè mortaliter. Quia perinde est multis velle damnum notabile inferre, ac si vni inferas damnum: omnia enim illa parua furtiola simul iuncta respectu totius communitatis vnum magnum efficiunt. Ita Lessi. 1. 2. c. 12. dub. 7. n. 36. Sanch. 1. 7. Decal. c. 21. nu. 2. & omnes communiter.

57
Prima sententia
improbabilior
esse
videtur.

Existimo primam sententiam omnino esse ut improbabilem expungendam. Quia si admittenda esset, non peccarent mortifere qui in Republica mensuris, ac ponderibus decurtatis vtuntur. Et exhiberetur hominibus ansa ex alieno discedendi, ac studendi furtis. Nec refert, quod singuli vix aliquid incommodi patiantur, quia si aliquis in particulari illud non subeat, patitur tamen illud Respublica; unde haec furandi ratio in omni Republica bene instituta semper fuit exosa.

PROBL. VII.

Est, & non est mortale peccatum furari minima à pluribus intentione perueniendi ad summam gravem, si quis id efficiat quia non habet, unde alias ipse, ac familia viuat.

Non est peccatum mortale. Quia id non efficit in fraudem praecepti de non furando, sed ut sibi ac familiae victum eo hand difficiili modo prouideat. Sic Medina c. de rest. q. 10. sine.

Peccatum mortale est. Quia non desunt alij viuendi modi. Et quia non est admittenda iniquitas, ut pietas in familiam exercetur, nec facienda mala, ut bona eueniant. Ita Fagund. De al. lib. 7. cap. 13. n. 7.

Hoc verum puto, si de communi necessitate loquamur, cuius subuentioni haud difficilis alia via proculdubio patebit. At si conditio hominis talis esset, ut in extrema, aut graui adie necessitate in qua alij ei succurrere teneantur, & nolint tunc ad tempus huiusmodi necessitatis primam sententiam admitto. Quia sicut tunc poterat clam ab illis accipere absque peccato, ita & eo modo vt ad accipiendum, si alio vitam alere non posset. At raro id continget. Sanch. Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 1. num. 12. Tolet. lib. 5. cap. 16. num. penul. Lessi. lib. 1. cap. 1. dub. 7. num. 37. Fumus v. Furtum. num. 10. Angel. lib. num. 37.

PROBL. VIII.

Omnia rerum minimarum furta, etiam si notabilem constituent quantitatem, sunt, & non sunt mortalia: obligant & non obligant ad restitutionem sub mortali.

Non sunt mortalia, nec ad restitutionem obligant sub mortali. Quia quodlibet furtum illud minutum veniale solum fuit, imò vltimum, quod gravem constituit quantitatem propter lenitatem materiae culpae venialem non excessit. At venialia furta non sunt sub mortali restitutioni obnoxia: Ergo. Sic Nauar. 1. 3. Consil. tit. de Regular. conf. 75. Cuius sententiam, & aliorum idem asserentium probabilem esse Sa verb. Furtum. num. 8. docet.

Licet huiusmodi furta mortalia non sunt antequam quis ad notabilem deueniat quantitatem: quia dum ad quantitatem mortalem non peruenitur, non datur peccati mortalis materia: at ubi ad eam pertingitur, delinquit lethaliter, & ad restitutionem sub mortali tenetur. Quia cum peruenit ad notabilem quantitatem, iam incipit voluntarie rem alienam notabilis quantitatis acquirere, & detinere. Ergo peccat mortaliter acquirendo. Ita Lessi. lib. 1. cap. 12. dub. 8. num. 42. Sanch. tom. 2. Decal. lib. 7. c. 1. n. 3. Sa ciatus. Fagund. 1. 7. Decal. c. 13. & alij ab ipso citati num. 3.

Hanc

Sect. II. De Precept. 7. & 10. Problem. 345

⁶³ Hanc sententiam vnicè veram esse reor, Hoc vnicè Nauarique opinionem esse penitus impro-
verum esse bandam. Potest tamen accidere, vt in vltimo
putarim. furtiolo mortalem quantitatem attingente
non peccet quis lethaliter; nempe si per inad-
uertentiam excusetur, & aliorum immemor il-
lud committat. Quia tunc videtur se habere ad
sua furtiola præterita, ac illi, qui furantur mi-
nima ex vinea aliena, singuli quidem aliorum
fortiorum ignari. At conscius se ad grauem
quantitatem deuenisse, tenetur proculdubio
sub mortali illam restituere.

PROBL. IX.

*Quando vnus memor præteritorum furto-
rum rerum minimarum que vel ab vno,
vel à duobus abstulit furatur rem quo-
que minimam, que nonit quantitatem
mortalem compleri: peccat, & non pec-
cat lethaliter in illius ablatione, quam-
vis in hoc, nec in alijs furtiis animum
habuerit non amplius furandi.*

⁶⁴ **N**on peccat mortaliter in illa vltima rei
minutæ acceptione, in retentione autem
mortaliter, peccat. Quia posito eo furtiolo, completur no-
in acceptio- tabilis quantitas, quæ iniuste retinetur. Non
ne, in retē- autem, sic in ablatione. Quia vltimum illud
tione pec- furtiolum est totum illius acceptionis furtiue
cat, obiectum, & non continet summam ad cul-
pam lethalem requisitam: reliqua verò furtio-
la iam præterierit. Cum igitur illa summa præ-
laptorum furto- rum per se ad mortale non suf-
ficiat, vltimum lethale non erit. An ex multis
venialibus peccatis vnum lethale confurgit?
Minimè. Cum ergo alia furta venialia sint, ex
illorum multiplicatione lethalis culpa non
confurgit. Sic Nauar. sum. cap. 17. num. 139. Ve-
ga. lib. 14. in Trident. cap. 11. Graf. part. 1. decif.
lib. 3. cap. 5. num. 51. Carbo. de restit. qu. 2. Lessi.
lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 43. Iason. l. si idem cum
eodem, num. 3. & 4. ff. de iuris. d. omni. Indic. Decius
ibi, num. 1. & 16. Claudii. num. 1. & 2. Farin. con-
sil. 78. num. 3. volum. 1.

⁶⁵ **P**eccat mortaliter in acceptio-
ne. Mortaliter peccat in vltimo illo furto rei
minimæ cum aduertentia ad præterita, si in il-
lo mortalis quantitas impleatur. Quia eo vlti-
mo furto posito, resultat notabile proximi
damnum, & eo sublato tollitur: Sed quicum-
que sciens, ex actu suo leui subsequi notabile
proximi damnum mortaliter peccat cum auctum
præstando: Ergo eo vltimo furtiolo lethaliter
delinquit. Ità Sanch. tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 21.
num. 6. Manu. tom. 1. sum. cap. 150. num. 8. concl. 8.
Valent. 2. 2. d. 15. punct. 5. Rebel. par. 1. lib. 3. g. 15.
sect. 4. num. 30. Maior. Sayr. Couar. Sotus, Met-
cado Corduba & alij, quos citat, & sequitur
Pagand. l. 7. Decal. cap. 13. num. 13.

⁶⁶ **H**oc probabilius puto. Quia etsi vltimum
furtiolum sit totum vltimæ acceptionis obie-
ctum, & in se paruum, & veniale: attamen con-
iunctum cum præcedentibus lædit notabiliter,
ac mortaliter proximum. Vnde cum notabile
damnum proximo inferat, sine dubio illius ac-

ceptio mortalis existet. Et quamvis ex multis
venialibus peccatis nunquam posse vnum pec-
catum mortale coalescere certum sit: attamen
dixerim, in hoc vltimo furtiolo veniali ex se,
lethalem culpam committi: quia hærens alijs
præcedentibus damnum notabile proximo in-
fertur.

PROBL. X.

*Si post vltimum furtiolum complens quantita-
tem mortalem, aliud minimum furtum ge-
ratur: committitur, & non committi-
tur in illius acceptione nouum
crimen lethale.*

⁶⁷ **P**er quodlibet nouum furtiolum nouum
peccatum lethale patrat. Quia nouam
illam quantitatem qui sic arripit præcedentem
vult facere maiorem, & damnum illud notabile
vult facere maius; nec enim propter prius pec-
catum mortale commissum fur melioris con-
ditionis effici debet. Et quia per illud nouum
furtum, & aduertentiam præteritorum sine vi-
la restituendi voluntate implicite renouat
actum voluntatis retinendi notabilem reus
alienam. At quoties actus peccati renouatur,
toties nouum peccatum committitur: Ergo. Sic
Sanch. tom. 2. Decalog. lib. 7. cap. 21. numer. 7. Re-
bel. part. 1. de oblig. iust. lib. 3. qu. 15. section. 4. nu-
mer. 38. Bonac. de contr. d. 2. question. 8. puncto 3.
num. 4.

⁶⁸ **N**on patratur nouum lethale peccatum ob
quodlibet nouum furtiolum. Quia hoc non
consummat notabilem quantitatem, sed con-
summatam augeat. Ità Salas meus sapientissi-
mus Magister 1. 2. tom. 2. qu. 88. tractat. 13. d. 16.
sect. 27. num. 90. Lessi. lib. 2. cap. 12. dub. 8. num.
44. Filiuc. tract. 31. num. 246. Diana probabile
existimat, & tutum in praxi part. 2. tractat. 17.
resolus. 41.

⁶⁹ Existimo esse peccatum lethale vnicam il-
lam voluntatem retinendi ea noua minuta
furta etiam cum alijs: quod quidem voluntatis
& externæ retentionis piaculum sensim crescit. Profero.
cet prout plus retinebitur. Si verò illa noua
furta nouum peccatum mortale inchoent, &
ad notabilem aliam quantitatem ascendant,
erunt tunc lethalia peccata.

PROBL. XI.

*Qui leuam quantitatem auferat ab eo, à quo ali-
quod notabilem iam abstulerant, peccat, &
non peccat lethaliter.*

⁷⁰ **P**eccat quidem. Quia sicut furtum seu ab
vno commissum integrare potest materiam
sufficientem ad mortale, cum leui furto ab alio
commissosita potest continuari cum maiore,
quo maius damnum inferatur, & ad peccatum
lethale imputetur. Sic Bonac. de contr. d. 2. qu. 8.
punct. 2. num. 5.

⁷¹ Minimè lethaliter delinquit. Quia ille non
est damni notabilis causa, quod quidem iam
ab alio fuerat illatum: & eius furtum in par-
te non peccat
est quantitate ad mortale insuficiens. Ità Vasq.

1.2.10.2.9.88.4.4.1.46.6.2.1.6. Sanch. 10.2. De-
cal. 1.7.6.21. numer. vigeſimo tertio. Diana p. 2.17.
17. reſol. 41.

72
Hoc mihi pro-
babilis.

Mihi hoc probabilis. Nam inter hosce ca-
ſus diſpar eſt ratio. In priori enim cum non ſit
maior ratio, cur vni potius, quam alteri notabi-
le damnum imputetur, ſingulis debet imputari.
Hic autem non item, quia cum aliqui deter-
minatè fuerint per ſe notabilis damni cauſa,
alius, qui cum illis parvam quantitatem vltor-
pauit, non debet conſors notabilis damni cen-
ſeri: ynde mortaliter non delinquet.

PROBL. XII.

Qui nullatenus cauſa ſuit, vtraliſ minima
furta ex prædio cuiuſdam (v. gr.) agri-
cola geſſerim, ſi conſcius ſit furſi aliorum
peccat, & non peccat lethaliter modi-
cum cum ipſis, vel ſeparatim accipiendo
cum omnia illa fuſiola ſimul notabilem
implent quantitatem.

73
Lethaliter
peccat.

Peccat lethaliter. Quia licet ſit minimum
quod ille furatur, coniunctum tamen cum
particulis, quas ſcit ab aliis eſſe ſubtractas,
quaſitatem notabilem conſtituit, eſtque no-
tabilis cauſa damni; nam ratione ſcientiæ eius
damnum cum aliis continuatur. Igitur lethali-
ter delinquit cum reſtitutionis obligatione.
Sic Vaſq. 1.2.10.2. d. 146. c. 1. n. 5. Suar. 10. 5. in 2.
p. d. 20. ſect. 1. n. 3. Rebel. de iuſt. p. 1. l. 3. q. 15. ſect.
5. n. 4. Fillip. tr. 31. c. 1. o. n. 2. 44. Bonac. de contr.
d. 2. q. 8. p. n. 2. n. 6. & 7. Turrian. 2.2.10.2. d. 35.
dub. 2. n. 2. & 3. Maior. Medi. Martinus, Ledel.
Nauarra, Angles, Cordu. Salon. Lopez, Sayr. &
alii apud Sanchez citandum.

74
Non peccat
lethaliter.

Lethaliter non peccat. Quia omnis ex his,
qui ita furatur, inferit paruum proximo damnum.
Ergo hoc ex capite lethaliter non delinquit.
Deinde nemini eſt cauſa alias paruas furandi
quantitates: Ergo ex eo, quod alij furentur, eius
peccatum minimè aggrauatur, non enim coo-
peratur ſimpliciter magno damno: ſed in par-
ua quantitate: & præter ipſius intentionem
eſt, vt illa parua quantitas cum aliis furſis mi-
nimis colligetur. Ita Tanner. 2.2. d. 4. quaſt. 6. dub.
9. n. 285. Leſſi. l. 1. c. 12. dub. 5. numero quinquage-
ſimo ſecundo. Salas 1.2. p. 2. q. 88. tr. 13. d. 16. ſect.
27. numer. 92. Malder. 2.2. tr. 4. c. 1. dub. 5. caſu
3. Sanch. ſum. to. 2. l. 7. c. 2. n. 22. Diana p. 2. tr.
17. reſol. 42.

75
Hic hæreo.

Hic hæreo. Nam eſſe cauſam partialem
damni notabilis, non eſt eſſe cauſam eius ſim-
plicitè, ſed ſecundum quid. Ergo furtum il-
lud non erit lethale, licet ſit cauſa illius dam-
ni accipiendo, ac retinendo, quia non
verè inſuit in illud damnum nota-
bile, cum præter intentionem,
& per acciſſens furtum
aliorum eueniat.

PROBL. XIII.

Quando vltimum furtiolum cum præcedentibus
coniunctum peruenit ad mortalem quan-
tatem: ſufficit, & non ſufficit,
illud reſtituere.

Non ſufficit illud furtiolum vltimum re-
ſtituere, ſed neceſſum eſt totam reddere quan-
tatem. Quia tota illa ſumma eſt furto
acquiſita: Ergo iuſtitia commutativa poſtulat,
vt tota etiam reſtituatur, vt iuſtitia ſeruetur
æqualitas. Sic Medina C. de reſtit. q. 10. Cordu-
ba ſum. q. 70. dub. 2.

Sufficit quidem. Quia tenetur tantum qui-
libet ſub mortali, notabile proximi damnum
auferre: Auferitur autem per vltimi furtioli ac-
cepti reſtitutionem: Ergo non tenetur ſub
mortali, hoc reddito, aliam ſummam reſtituere.
Nemo enim negabit, excuſari quemquam a
mortali ex materiæ paruitate; vnde cum iam
materiæ illa, quæ remanet furtiolo vltimo ſub-
lato, ſit parua, perſpicuum eſt illum eſſe excu-
landum. Ita Nauarra de reſtit. l. 3. c. 1. n. 60. Alco-
zer. l. de ludo. c. 16. Arag. 1. q. 66. a. 6. Sayr. in
Clauſi l. 9. c. 19. n. 15. Rebel. de iuſt. p. 1. q. 15. ſect.
4. n. 3. Fagund. De al. l. 7. c. 13. n. 16. Sanch. to. 2.
Decal. l. 7. c. 12. n. 9.

Certe ſi totum eſſet ſub mortali reſtituen-
dum, qui ex magna ſumma ablata vnum ce-
runtium retineret, cæteris reſtitutis, adhuc ce-
neretur ſub mortali eum reſtituere ceruntium:
quod mirum, & inauditum eſſe quis non fa-
teatur? Igitur qui ſolum peccauit lethaliter
vltimum furtiolum accipiendo ſolum tenebi-
tur ſub mortali illud reſtituere. Equidem tota
illa ſumma accepta fuit per partes, non ſimul,
ac proinde iuſtitia commutativa poſtulat, vt
tota reſtituatur: non tamen tota ſimul ſub mor-
tali: alioquin (vt innot) reſtitutis cæteris, &
vno remanente, maneret illud reſtituendi ſub
mortali obligatio: quod nemo aſſeruit.

PROBL. XIV.

Quando non communicato conſilio, ſed tam-
en aliis ſcientibus, alios minima ab vno eodem-
que furtiola accepiſſe: ſinguli eorum peccant,
& non peccant lethaliter, tam accipiendo,
quam non reſtituendo minima.

Suppono ex ſect. 1. ſi plures ab vno eodem-
que vt vna cauſa, & communicato conſilio
minima furto auferunt, omnes lethaliter de-
linquere, & ad reſtitutionem ſui minimi ſub
mortali teneri. Quia vnusquisque cauſa totius
damni efficax fuit, & per hoc vnusquisque
damniſicato in ſolidum tenetur. Si vero ſeor-
ſim concurrant, ita vt nullus eorum conſcius
ſit de damno notabili per alios dato, ſolum ve-
nialiter peccare tam accipiendo, quam non re-
ſtituendo. Quia dum nullus aliorum conſcius
eſt, nemo eſt damni notabilis cauſa: & quiſ-
que eſt tantum cauſa ſui minimi, & pro ſuo
minimo ſub veniali tantum ad reſtitutionem
tenetur. Quid ergo quando non communi-
cato

Sec. II. De Præcep. 7. & 10. Problem. 347.

cato consilio, sed tamen scientes alios minima accepisse ab vno eodemque graui damno secuto, minima ab vno eodemque auferunt?

80 *Letthaliter peccant omnes & singuli auctores ad restitutionem que tenentur sub mortali.* Omnes, ac singuli lethaliter peccant, & ad restitutionem sub lethali tenentur sui minimi, & in aliorum defectum ad totum in solidum. Quia quilibet eorum per eam scientiam ad notabile damnum proximo inferendum cooperatur, estque illius partialis causa: nam licet quod quilibet furatur, sit in se minimum; at adhaerens particulis ab aliis acceptis, est magnum, & ratione huius scientiae minimum huius illarum damnum cum damnis ab aliis illatis continuatur. Sic Navarra de rest. l. 2. c. 1. num. 44. Valq. l. 2. q. 88. c. 2. num. 5. Petr. Ledes. to. 1. sum. tr. 8. c. 1. 2. nu. 41. Suar. to. 5. in 3. p. d. 20. sect. 2. num. 3. Emanu. to. 1. sum. c. 150. m. 7. Navar. sum. c. 17. n. 131. Cordoba sum. q. 70. p. m. 1. Medina c. de rest. q. 10. Lud. Lopez p. 1. n. 93. q. 1. dispo. 2.

81 *Nulli peccant ac accipientes, quam non restituens. Sed singuli sunt letaliter, nec ad restitutionem sub mortali tenentur.* Nullus horum lethaliter delinquit tam accipientes, quam non restituens. Sed singuli sunt pares venialiter delinquendo in acceptione, & retentione. Quia quilibet eorum minimum damnum infert: ergo ex hoc capite mortaliter non peccat; & quamvis sciat, alios minima etiam furari, tamen nemini illorum est causa, aut occasio furandi per huiusmodi scientiam: Ergo ex eo quod alij furentur, illius peccatum non augetur: præter illius enim est intentionem, ut furtioli eorum cum suo coniungantur, imo & ut alij furentur, ne in magna quantitate proximus ledatur. Ita Sanch. to. 2. Decal. l. 7. c. 2. numero vigesimo secundo. Lessi. l. 2. c. 12. dub. 9. numero 52. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. Vbi expresse docet, nullum accipientem peccare mortaliter, quando singuli alios non ignorantes modica acceperunt, ex quibus furtis tota vinea deuastata est: nec teneri postmodum sub mortali, nisi iubeantur post excommunicationem, damnum restituere. Barth. Medina l. 2. q. 88. a. 4. ad 3. Salon 2. 1. p. 2. art. 7. contr. 2. & alij, quos pressio nomine affert Navarra. 3. de rest. p. 1. c. 1. dub. 4. numero quadragesimo nono. Fagund. Decal. l. 7. c. 14. num. 6.

82 *Nihil hoc probabilis.* Hanc sententiam reor esse probabiliorē. Quia alioquin ferè semper omnes viatores vuarum botros colligentes ex aliena vinea dampnandi essent tanquam lethalis piaculi rei, cum nullum verosimiliter lateat, alios similiter minima suffurari. Vnde si aliorum furtioli in vnum notabile damnum coalescant ratione scientiae, hæc etiam coalescant. At quis hoc dictabit? Equidem nullus doctus confessor sententem sibi racemulum transeundo abstulisse, interrogat, an norit alios similiter fuisse furatos.

PROBL. XV.

Excommunicatio lata contra furantes minima, ex quibus graue damnum proximo coalescit, ligat, & non ligat eos, qui arripiendo minima lethaliter non peccarunt.

83 *Nulla suppono.* Suppono excommunicationem, quæ fertur in vastantes vineas, pomaria, hortos, &c. eos

comprehendere, qui communicato consilio damnum per minima dedere. Quia vnusquisque illorum delinquit lethaliter in accipiendo & in non restituendo. Idem dixerim in sententia illorum, qui asserunt, singulos peccare mortaliter accipiendo minima, & ad restitutionem teneri, quando alij aliorum furti minimi non erant ignari: de quo num. 79. Quæsierim igitur, an comprehendantur in excommunicatione illa, quando à principio nullus aliorum conscius erat de damno illarum: & in nostra sententia, quam num. 81. ut probabiliorē elegimus, nullum scilicet peccare mortaliter etiam si conscij aliorum furtioli fuerint, nec ad restitutionem sub mortali teneri? Pressius requiro, num excommunicatio illa eos comprehendat, qui furando minima lethale peccatum non patrantur?

84 *Eos non ligat.* Eos non comprehendit. Quia excommunicatio lata contra furantes, eos solos comprehendit, ac ligat, qui ante eam tenentur sub mortali restituere. Excommunicatio enim cogit restituere quod debetur: non efficit, ut debeatur. Sic Navarra. in c. Inter verba, concl. 6. corol. 20. num. 54. & sum. c. 17. num. 4. Navarra de rest. l. 3. c. 1. p. 1. dub. 7. numer. 64. & 65. Sanch. to. 2. Decal. c. 21. n. 18.

85 *Ligat plane eos.* Comprehendit proculdubio. Quia ut excommunicatio illiget, sufficit, quod pro iusta causa, & notabili damno in se considerato, feratur, licet persona, quæ illud intulit, ignoretur. At hic datur iusta causa ferendi hanc censuram ratione damni notabilis ex furtis minimis confurgentis. Ita Lessi. l. 2. c. 12. dub. 9. numer. 54. Fagund. Decal. l. 7. c. 14. num. 12. Sayt. l. 1. de censur. c. 9. num. 10. Nisi tam paruum (limitans) esset furtulum alicuius, ut pro minimo reputetur. Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. Medina l. 2. q. 88. art. 4. Salon 2. 2. q. 62. a. 7. controu. 1.

86 *In hanc mentem inclinor.* In hanc mentem inclinor. Quia talis excommunicatio fuit lata pro tota illa notabili damnificatione, ne grauius latus quis maneat, & sufficit, quod spiritualis potestas, seu Prælati hoc damnum consideret intulisse ab alijs illatum, ut illud iubeat per censuram rescari. Imò primæ partis Doctores affirmant, posse Ecclesiam decernere talem excommunicationem, quæ ligentur hi, qui nec in accipiendo, nec in retinendo lethaliter deliquerint minima furantes, dummodo peculiare obedientie præceptum adiciat, cum sine illo materia non sit excommunicationis capax. Ad huiusmodi vero obedientiam iuste imponendam requiritur, ut interueniat aliqua spiritualis causa, quam Prælati respiciat, eaque adeo grauis, ut satis sit ad mortalem obligationem inducendam: ut si iudicet expedire ad vitanda Reipublicæ peccata, vel ad spirituale bonum illius, aduersus quem excommunicatio fertur. Lege, quæ in to. 5. de censur. d. 20. sect. 6. * *

CAPVT X.

Circa Filiorum Furta.

PROBL. XVI.

Filius familias seruizus patri potest, & non potest clam accipere tantum, quantum pro eo seruizio extraneo cuiusdam esset impendendum.

87
Non potest
clam accipere.

MINIME potest filius, qui gerit alibi negotia patris, vel perpetuo domicilium ad vendenda ipsius negotiorum bona, de paterna substantia pro labore ac industria sua accipere quantum pater extraneo famulo pro eodem labore impertiret. Quia filij iure naturali tenentur parentibus inservire. Et quidquid filius acquirit, patri acquirit. Unde non valet inter filium familias ac patrem donatio; perinde enim esset, ac si pater sibi ipsi donaret: deo communiter edocent Doctores, donationes mere gratuitas factas à patre filiis familias esse inuvalidas; nam cum regulariter loquendo, quidquid filius familias acquirit, patri acquirit, impossibile est (iuris impossibilitate) posse patrem aliquid donare filio familias, ita ut dominium in filium transferatur, cum nec momento temporis possit ipsum dominium apud filium remanere, quin statim à patre acquiratur, & ad illum transferatur. Sic Iul. Clar. l. 4. §. 1. Donatio, q. 8. num. 1. Parisius conf. 16. num. 19. l. 2. Navarr. sum. c. 17. nu. 146. in c. 1. num. 149. Anton. Gomez to. 2. variar. c. 4. & patet ex iure communi l. Donationes, quas parentes, C. de donat. inter virum & uxorem.

88
Potest qui
dem.

Ultra expensas, quas pater gerit in alendo filium familias, potest ipse seruizus patri clam accipere tantum, quantum extraneo pro eodem ministerio esset impertendum. Quia ea bona acquisita à filio sunt suae industriae fructus, & non totaliter profectitia; sed profectitia partim, partim aduentitia; profectitia quidem, quia cum bonis seu pecunia patris fuere acquisita: aduentitia verò, quia cum industria, ac labore filij fuerint patri comparata: At in bonis aduentitiis filius habet dominium directum, quāvis non habeat usum fructum viuentis patre. Ita Lessi. l. 2. c. 12. dub. 13. num. 81. Navarra de res. in l. 3. c. 1. num. 6. Angel. v. Peculium, nu. 11. Rosel. ibid. §. 7. & 8. Fagnan. Decal. l. 7. c. 5. numero 11.

89
Hoc vnicè
verum
esse puto.

Hoc vnicè verum esse existimo. Quia filij solum tenentur seruire parentibus, quando ipsi egent, & quando alij fratres similiter gratis inserviunt: taliter nonnulla enim ratio dicitur ut vnus teneatur laborare, & seruire parenti sine stipendio ceteris fratribus otiantibus. Certè ex pacto debent patres filiis familias pro seruizio ab illis sibi impenso tantum, quantum debeatur

extraneis. Nam quando filius familias patri seruire coepit, statim id deduxit in pactum. Quod si ob verecundiam parenti id non declarauit, parum refert; quia modestia ei nocere non debet. Enim verò ad iustificandam hanc filiorum occultam acceptionem, haec debent conditiones consilire. Prima, ut filius seruire gratis non intendat: sed protestetur saltem tacite, se eo pacto seruire, ut fructus industriae reporter, & tantum sibi pro seruizio donetur, quantum donaretur extraneo. Secunda, ut constet, patrem non id factum per se, nec inuenturum alium, qui gratis, & pro solo cibo faceret. Tertia, ut non sibi vendiceret usum fructum rei, quam ex talibus pecuniis fortasse coemittente obitum enim parentis, hoc lucrum in bonis aduentitiis censetur, quorum usus fructus ad patrem, dum viuunt, spectat.

PROBL. XVII.

Pater amittit, & non amittit usum fructum bonorum aduentitiorum filij per professionem ipsius in Religione approbatam.

PRAMITTO, bona castrensia esse illa, quae filius familias, seu nondum emancipatus in militia acquirit, vel ipsi à patre, cognatis, amicis, alijsue personis causa & occasione militiae primo ac principaliter donantur: & omnia quae cum his bonis commutatione, emptione, vel quocumque alio modo acquisiuit. Bona vero quasi castrensia illa esse, quae filius familias acquirit per aliquod officium medicum, aduocatum, tabellionis, magistri, &c. Et quae filius familias Clericus ex officio habet Clericali, beneficio, &c. Omniaque bona, quae cum bonis castrensiibus, aut quasi castrensiibus acquiruntur, castrensia, aut quasi castrensia dicuntur. Porro de his bonis potest filius ad libitum disponere dando, vendendo, imò clam accipiendo, modo putes sit, non tamen quatuordecim mense annorum. Bona verò profectitia dicuntur illa, quae filio familias proueniunt causa & occasione patris. & quae ab ipso patre habet, & illius pecuniis per negotiationem acquisiuit: & quae causa & intuitu patris illi donata, vel testamento legata fuere. Haec tota sunt patris & quo ad usum fructum, & quo ad proprietatem: unde fur reus erit filius, si ex illis aliquid, inuito parente accipiat, & tenebitur ad restitutionem vel ipsi parenti faciendam, vel valore in collationem adducto. Bona denique aduentitia illa dici affirmo, quae non proueniunt filio familias causa patris, cuius intuitu principaliter dantur; sed quae à matre, vel consanguineis matris ei donantur, successione, testamento, aut donatione relinquuntur, diuerso à patre intuitu: & quae propria industria, ac labore ipse acquirit: & in his bonis habet filius dominium, ac proprietatem, parentes verò usum fructum solummodò. At de his bonis aduentitiis non potest filius aliquid clam accipere à patre nisi per furtum: & si quantitas, spectata rationabili uoluntate ac possibilitate patris, sit grauis, peccat mortaliter contra iustitiam, & ad restitutionem

89
Præmissa
quae sunt bona
castrensia, &
quasi castrensia,
sunt bona
profectitia
filiorum familias.
Et quando sunt
profectitia, illa
clam accipiuntur.

Secl. II. De Precept. 7. & 10. Problem. 349

nem tenetur, si pater sit superstes; mortuo vero parente, non tenetur ea quæ furto abstulit, in diuisionem adducere nisi pro illa parte ususfructus, in qua patrem viuentem defraudauit, & damnum intulit aliis fratribus lucris cessantis, ac damni emergentis eos priuando illo lucro, quod pater ea pecunia poterat aliis filiis acquirere. Bona autem materna, & legitima ex parte matris sunt bona aduentitia filio respectu patris & in iis pater habet vsumfructum dum fuerit superstes, de iure communi, etiam si filius patriam egrediatur potestatem per matrimonium. His præmissis, quaerim, an pater amittat vsum fructum bonorum aduentitiorum filij per eius professionem in Religione approbata?

91 *Amittit vsum fructum.* Amittit quidem. Quia per professionem in Monasterio bonorum acquisitionis capaci desinit filius esse sub patria potestate, vnde ea bona quo ad vsumfructum statim ad Monasterium videtur pertinere. Sic Glof. ad l. si ex causa, §. Papinianus, ff. de minorib. Manuel Costa c. si pater p. 2. v. Testatore mortuo, n. 11. & alij apud ipsum.

92 *Non amittit.* Non quidem amittit. Quia factum filij licet laudabile sit præinducium patri asserere non debet. Vnde quamuis filius per professionem egrediatur patris potestatem, id tamen non impedit ius, quod pater iam antea in bonis filij comparatum habebat. Ita Nauar. ad c. Non dicatis, n. 87. Gregor. Lopez ad l. si. tit. 17. p. 4. Pinel. l. 1. p. 1. n. 45. Cod. de bonis maternis. Molina tom. 1. de iust. d. 140. §. Verum autem quando. Fagund. Decal. l. 7. c. 4. n. 32.

93 *Hoc mihi videtur.* Verius hoc mihi, adicienti tamen, impedire professionem filij ius acquirendum, seu potestatem comparandum: circa bona autem aduentitia antea acquisita perseverat vsumfructus in patre vsque ad illius obitum, etiam si filius præmoriatur. Idem dixerim de bonis, quæ in saculo filio aduenirent post patris professionem: ea enim ad filium, non ad Monasterium pertinent, vt docet Molina citat. §. Hec tamen. Plura mitto.



CAPVT XI.

Circa vxoris in maritum, & mariti in uxorem furta.

PROBL. XVIII.

Vxor peccat, & non peccat circa obedientiam, si bona, quæ iure potest, contra expressam mariti prohibitionem expendat.

94 *Nonnulla praeiudicia.* **I**DIMVS secl. I. in multis casibus non delinquere vxorem, si à marito aliquid clam accipiat. Primo, si quantitas non sit notabilis, spectatis opibus, & facultatibus. Deinde si accipiat clam ea, quæ bona fide credit, maritum sibi concessurum, si ab eo peteret. Tertio, si donet aliquid in ex- Esob. & Mond. Theol. Moral. Tom. IV.

trema aut graui necessitate proximo; quia iniuste maritus censetur inuitus. Denique si donationes, aut elemosynas agat, insito coniuge, quas alia sua qualitate facere assident; quia consuetudo tribuit ius non secus ac lex, seu privilegium; quo iure mariti non possunt suas priuare vxores. Quaerim vero, num vxor delinquat saltem contra obedientiam, si bona, quæ iure potest, contra expressam mariti prohibitionem expendat?

95 *Peccat quidem.* Peccat quidem. Quia debet sui capitis monitis, ac iussionibus subiaccere vxor, quæ plerumque ob agnati præsentiam prudentiæ imperfectionem potest facile errare. Sic nonnulli, quæ ex parte fauere. P. Molina 10. 2. de iust. d. 274. docens, posse vxores aliquando circa hæc contra obedientiam maritis debere (non tam, si dicit de facto) peccare. Vrget autem ipsa ratio. Nam vxor nullam omnino habet administrationem bonorum: ergo nullas elemosynas, aut donationes facere possunt contra expressam mariti prohibitionem. Et c. Quod Deo, 33. q. 5. vbi D. Augustin. coniugatam alloquens, hæc adiicit: Nihil de tua veste, de tuo auro, argento, vel quacumque pecunia, aut rebus illis terrenis tuis sine arbitrio viri tui facere debuisti.

96 *Minimè peccat.* Minimè peccat. Quia iniuste præcipit maritus, ne vxor id efficiat, quod iuste queit facere. Si tamen iustam moderationem excedat, non solum contra obedientiam, sed etiam contra iustitiam proculdubio delinquet, & restitutioni manebit obnoxia. Ita Nauarra de resit. l. 3. c. 1. n. 83. Nauar. su. c. 17. n. 154. Fagund. Dec. l. 7. c. 8. n. 5.

97 *Hoc vnicè teneo.* Hoc vnicè teneo. Quia licet vxor nullam habeat bonorum administrationem, sed tota sit penes maritum: habet tamen ius ad has moderatas elemosynas, ac donationes gerendas per consuetudinem acquisitam: vnde rea furti non erit, dum prohibente marito, tantundem acceperit ad donandum, quantumdem alia sua qualitate donant. Nec obstat c. Quod Deo, à D. Augustino ponderatum. Loquitur enim ibi de donationibus immoderatis, vt Molina, & Nauarra citari animaduertunt. Addiderim, posse vxorem, eas elemosynas, quas minutatim moderate facere possunt, congregare, vt simul parentibus egentibus, vel fratribus, consanguineis pauperibus, aut etiam extraneis largiantur. Quia si licitum est illis, elemosynas illius modi gerere minutatim, cur cumulatim facere non licebit?

PROBL. XIX.

Vxor, quæ amplissimam detulit dotem, peccat, & non potest absque mariti facultate quinquaginta (v. gr.) aut sexaginta aureos mariti ipsius ad dotem filiae, aut oblicitum alium titulum impertire.

98 *Non potest.* Non potest, etiam si det per partes; si ab initio intendit, ad eam summam peruenire. Quia vxor non habet administrationem bonorum mobilium, aut immobilium, ac proinde non potest eam summam elargiri sine mariti venia. Sic Nauarra sum. c. 17. n. 155. Cabedo p. 1. dec. 106. n. 4. adiciens, hoc etiam procedere, etiam si vir longius absit; nam etiam tunc id vxor gerere non potest sine licentia viri, vel iudicis auctoritate, qui

eam potest in hoc casu illi conferre, sicut potest facultatem dare, ad contractus cum alio celebrandos.

99
Potest planè.

Potest quidem. Quia est donatio remuneratoria ex parte vxoris, & ratio postulat, vt vxores etiam donationes remuneratorias faciant, modo non sint immoderate, attentis mariti facultatibus, & vxoris qualitate. Quare si maritus, his attentis, potest huiusmodi donationes remuneratorias efficere, cur non poterit vxor, praesertim si matrimonium fuit initum per contractum dimidietatis: imo quamvis fuerit celebratum per contractum dotis & artharum, quando sunt alia bona lucrata communia utriusque coniugi, de his poterit hac donatio fieri, cum sit honesta, & maritus non possit iuste priuare vxorem huiusmodi honestatis decore in ipsum equalem refundendo. Ita Molina to. 2. de iust. d. 2. 4. Fagund. Decal. l. 7. c. 8. nu. 11. & alij.

100
Cum his sententio Doctoribus.

Cum his sententio Doctoribus. Nam licet non sint vxoribus habenda plus iusto laxanda, imò restringenda: tamen si illa sese ab aliis licitis contineant, vt eam summam filiae nutriciae suae donent, aut alij personae ob gratitudinis remunerationem: tam amplam dotem potuit asserere vxor, vel tam copiosas vir potest facultates habere: vt dubitandum non sit posse id vel per partes vel simul elargiri. Certè Nauarrus & Cabedo loquuntur de aliis donationibus, quae, attentis facultatibus, sunt immoderate, & quae non sunt remuneratoria, nec titulo elemosinae fiunt.

PROBL. XX.

Vxor tenetur, & non tenetur, post mortem viri in suam referre partem, quae ipso contradicente egenis parentibus v. gr. fuit impertita.

101
Nonnulli supponunt.

Suppono, vxorem, contradicente marito, posse parentibus egenis succurrere. Quia de iure naturali est, vt parentes filios, & filij parentes alant, quando illi de suo, aut aliunde alij non possunt. At licet vxores maritis teneantur obedire, id quidem est, quando ista, ac licita praecipunt: hic autem iniusta ac illicita imperant, ius naturae contemnendo. Molina to. 1. de iust. d. 2. 8. & to. 2. d. 274. Lessi. l. 2. c. 12. dub. 14. n. 84. Nauarra de restit. l. 3. c. 1. nu. 159. Iam requiro, vtrum vxor, quae contradicente marito sic succurrit parentibus, post illius obitum in suam partem id referre teneatur?

102
Tenetur sane.

Tenetur planè. Quia vxor parentem suum egentem de suo tenetur alere non de bonis communibus: illud autem solummodo vxoris dici potest, quod ad quantum ipsius pertinet; de hoc enim tantum post mortem liberè, & sine filiorum iniuria disponere valent, praecipue apud Castellae Regna. Sic Lessi. & Nauarra allegati.

103
Non tenetur.

Minimè tenetur in suam partem post viri obitum referre id, quod de bonis communibus sic fuerit absumptum, si matrimonium contractum dimidietatis fuit celebratum; si verò contractum artharum, ac dotis, soluendum est de bonis communibus superlucrat, si quae sunt ab illis durante matrimonio acquisita. At si non sunt, debet vxor id, quod ita cum parente in-

sumpsit, in partem, quae ei, dissoluto coniugio contingit, assumere. Ita Molina to. 2. de iust. d. 274. Fagund. Decal. l. 7. c. 8. n. 19.

Horum opinio mihi omnino placet. Quia tunc sicut obligatio succurrendi parentibus, ita & onus computandi in partem suam planè recurrit vxori. Addiderim, si fratres vel sorores vxoris similiter egeant, posse, inuito marito, vxorem illos alere, cum, de suo, alij non possunt. Quia de re nullus addubitauit.

104
Hac placet opinio.

PROBL. XXI.

Si maritus bona communia sibi & vxori dissipet, tenetur, & non tenetur, matrimonio soluto, id in suam partem referre, in quo vxorem damnificauit.

Peccat quidem lethaliter maritus dissipans bona communia sibi & vxori, sed non tenetur, soluto matrimonio id in suam partem referre ad restitutionem. Quia non censentur lucra nisi illa, quae tempore mortis, inueniuntur, reliqua verò potuit maritus bene vel male, iuste vel iniuste administrare absque restitutionis obligatione; ad illum namque, dum viueret, summa rerum spectabat administratio. Sic Nauarra sup. c. 17. n. 5. citans Lupum in rubrica de donat. inter vir. & vxor.

105
Peccat sed non tenetur ad restitutionem.

Non solum lethaliter peccat dissipans communia bona, sed ad restitutionem quoque tenetur. Quia si contractum dimidietatis matrimonium celebratum fuit, dimidium bonorum post mortem viri pertinet ad vxorem; bona enim erant utriusque communia: si verò per contractum dotis, & artharum initum fuit, dimidia pars bonorum in matrimonio acquisitorum ad vxorem spectat, vnde ea rationabiliter iniuncta, irrationabiliter pro parte sibi attingente profunduntur, in quo maxime damnificatur. Qui autem est alteri causa efficae iniusta damni, tenetur illud ei restituere c. si culpa, de dolo, & damno dato. Ita Lessi. l. 2. c. 12. dub. 14. n. 87. Fagund. Decal. l. 7. c. 9. n. 1. Nauarra de restit. l. 3. c. 1. n. 114.

106
Ad restitutionem non tenetur.

Equidem si maritus bona sibi & vxori communia dissipet in usus meretricios & iargas de nationes ea profundens sine vxoris consentu expresse vel tacito, iniuria afficit vxorem, illi damnum pro sua parte inferendo: vnde coniugio soluto, tenetur ille id testamento exponens, & illius haeredes ad restitutionem vxori, vel suis haeredibus faciem. Imò si vxor metuit, se difficile id posse ea recuperare via, potest licite clam compensatione uti, accipiendo tantum de mariti bonis, quantum de parte sua, se iniuncta, ille dissipauit; & ea summa detracta, iurare coram Iudice, ea tantum esse bona mobilia, quae ex marito vita functo remansere, & nulla alia extare. Nam cum debita computentur in bonis defuncti, verè iurat, & ad formalem iudicis intentionem respondet. Ideò enim Iudex sub iuramento illam interrogat, vt detrahis de bitis, de reliquo partitiones fiant, & vnicuique ius suum asseruerit. Nauarra ergo mihi opinio displicet.

107
Dissipet mihi Nauarra consentum in iuramento placet.

PROBL.

ELSCOBAR
Theol. Mor.
Tom. III. IV
E. IV

PROBL. XXII.

Parentes tenentur, & non tenentur computare in partem, de qua liberè disponere possunt, eas donationes, & moderatas elemosinas, quas minutatim in vitam gessere, ob damnum inde filiis resultans.

108 **T**enetur eas computare de quinta bonorum parte (de qua in Regno Castellæ liberè uti possunt) detrahendo. Quia l. 28. Tauri hodie 12. tit. 6. lib. 5. recopil. præcipitur, nè parentes in vita, vel in morte aliquid disponant nisi de suorum bonorum quinto, de quo liberè disponere tantum possunt, iuncta. l. 30. Tauri hodie 13. eodem tituli. decedenti, omnes donationes gratiosas de quinto esse extrahendas. Certe parum interest filiorum, si parentes per magnam quoriam simul, siue minutatim liberaliter disponant, cum æque vel illa via lædantur: præsertim quia in rebus concernentibus iustitiam minima etiam attenduntur, ut probat Pinel. in rubr. C. de rescind. vendit. numer. octavo, & vigesimo octavo. Nam ubi de lesione ac iure alterius agitur, in minimis etiam ratio esse habenda. Sic Tello ad l. 20. Tauri. num. 9.

109 **M**inimè tenentur. Quia cum pater verus ac legitimus administrator bonorum sit arcendus non est ab his, quæ recta, ac prudens bonorum administratio postulat: nec mater ab his, quæ vel infcio marito, iuste potest in pia opera distribuere. Ità Sanchez. tomo primo, de matrimon. lib. 6. cap. trigesimo octavo. numero undecimo. Angel. de melioram. l. 12. glof. prima numer. 26. Fagundez lib. 7. cap. 9. numer. 13. Molina tom. 2. de iust. d. 282. ubi appositè animadvertit, plus posse aliquantulum donare parentes minutatim, quam simul probabilem sententiam hanc, Gutier. part. 2. ques. 68. appellat.

120 **P**orro parentes non tenentur, coniugio soluto, in suam partem computare donationes, & elemosinas prudenter factas pro modo substantiæ, ac pro qualitate personæ, & quas his attentis, postulat recta ratio & bonorum administratio fieri; sed pertinet ad sumptus communes ordinarios, & bonorum administrationem. Secus si prudentiæ limites excedant. Licet autem ubi agitur de lesione alterius contra iustitiam data, minima etiam sint attendenda, ut restituantur: id quidem verum est, ubi quis non est verus bonorum dominus, sed verus administrator, ut Prælat. Religionis in illicitis: secus in vero domino qualis est pater.

Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

CAPVT XII.

Circà furta vasallorum in Principes, famulorum in dominos.

PROBL. XXIII.

Quantitas minor duobus nummis aureis est, & non est lethale furtum vasalli respectu Regis, vel Principis.

MINOR quantitas est furtum lethale. Quia vnum argenteum esse quantitatem mortalem etiam respectu potentissimi Regis graues Doctores sentiunt. Sic Flamma part. 3. metho. cap. 9. Tolet. lib. 5. cap. 18. asserens vnum vel duos regales esse furtum lethale, etiam respectu Principum: sit pro ratione autoritas.

Minor quantitas duplici nummo aureo lethale furtum non constituit. Quia spectata liberalitate Principum, qui vasallos suos, instar filiorum, assilient diligere, non videtur minor hac quantitate posse assignari: nam hoc bonum est alicuius momenti, ac entitatis: & licet liberalitatis Regis, vel Principis exiguum videatur, tamen minimum non est respectu obligationum Principum: isto enim miles vnus dimidio mense certamini insudat. Ità Sotus l. 5. de iust. q. 3. a. 5. Fagund. l. 7. c. 10. n. 3. & alij ab ipso citati c. 1. n. 18.

Difficillimum planè est, certam quantitatem definire. Nam cum hoc ex variis pendeat circumstantiis, ac prudenti hominis arbitratu, quisque suum facile poterit sensu aliorum arbitratui præferre. Existimo igitur, duos ducatos, vel duplicem nummum mortale esse peccatum in furto vasallorum respectu Regis, vel Principis: furtum autè minoris quantitatæ veniale peccatum non excedere. Scio P. Suarium. to. 3. de Relig. l. 8. c. 6. Nauarram l. 30. de rest. c. 1. n. 35. Angelum v. Furtum. 33. & alios quantitatè vnus ducati pro mortali peccato in furto vasalli respectu Regis assignare. Sed nostrum iudicium æquum apparet, cum assignata à nobis quantitas nec ut exiqua peccet, nec ut laxa exorbitare videatur. Mei autem Toleti, & Hieronymi Flamma venia, primam sententiam, ut minimum scrupulosa parum probabilis habere crediderim.

PROBL. XXIV.

Lethalis quantitas in fortuna receptione Regis, vel filiorum Regis, potest, & non potest definiri.

Definiri quidè potest. Quia cū soleant Reges erga Augustas vxores liberaliores esse, imò liberalissimi: lethaler non delinquit, si infcio Rege, mille ducatos accipiat. donet: & Regis filius ducentos aureos etiam parentes ostendantur inuiti; nam id erit, quoad modum

non quoad substantiam. Sic Fagund. Decal. l. 7. c. 10. n. 5. & 8.

115 *Non potest definiti.* Minimè potest definiti. Quia id ex multis pendere circumstantiis, quis dubitet? Nam si Rex aut Princeps sit aliqua necessitate, v. g. bellorum instantia oppressus, minor quantitas centum aureis peccatum lethale constituet. Ita viri doctissimi, quos consului.

116 *Mea sententia.* Et quidem certum mihi cuncto hæc prudentis arbitrio committenda, qui spectatis omnibus circumstantiis, quod sibi iustum fuerit visum, adiudicabit. Generatim tamen loquendo, modo Rex non sit aliqua graui necessitate oppressus, placet P. Fagundez opinio.

PROBL. XXV.

Quando famulus via iuridica potest à domino exquirere, quod sibi debitum denegatur: potest, & non potest id clam accipere sine furti reatu: incurrit & non incurrit excommunicationem latam contra occultos furatores.

117 *Non potest.* Non potest clam accipere sine reatu furti: & si accipiat, excommunicatione innodabitur. Quia iniuste clam arripit, quod via iuridica recuperare poterat. Sic nonnulli, quos pressio nomine, memorat Fagund. Decal. l. 7. c. 11. n. 6.

118 *Potest proferre.* Clam potest accipere sine furti reatu. Quia pro iusta compensatione accipit suum, non alienum, quod plerumque difficile, imò verendum est famulis via iuridica à dominis recuperare. Quod si feratur excommunicatio in eos, qui occultè aliquid furati sunt, nunquam in ea comprehenduntur, qui pro sua iusta compensatione suam accipiunt. Ita Lessi. l. 1. c. 12. dub. 10. numero sexagesimo primo. Nauar. sum. c. 17. nu. 114. Syluest. v. Fortuna. q. 15. & Fagund. citatus.

119 *Hoc teneo.* Hoc teneo, nec refert iudico, quod via iuridica possit quis suum recuperare debitum; quia suum recuperat, & non furatur alienum: nec etiam peccat retinendo, cum suum retineat. Peccabit autem contra charitatem, quando facile rem suam aliter recuperare possit. Iudex verò solummodò intendit excommunicare illum, qui contra iustitiam accipit, aut detinet alienum; & quamvis intenderet etiam ligare illum, qui occultè in compensationem modo indebito accepit, excommunicatio non valeret; quia solum, pro re aliena potest hæc censura ferri. Quamvis enim deliquisset contra charitatem lethaliter ille, qui occultè sibi compensauit, cum facile posset rem suam recuperare: tamen non peccauit contra iustitiam, & illud peccatum situm fuit in indebito modo suum recuperandi, iam est præteritum, & non durat moraliter, cum non duret restituendi obligatio: unde ob peccatum præteritum non potest quis excommunicari: excommunicatio enim

quæ ob præteritum crimen fertur, non est valida, vt docet

Suar. ro. 5. d. 4. sect.

5. nu. 8.

PROBL. XXVI.

Serui, & ancilla possunt, & non possunt sine furti reatu habere peculium, seu dominium de rebus à se acquisitis: v. gr. si ancilla nihil dominam defraudando, tempore sibi superfluente à debito seruitio aliquid lucretur, vel seruus similiter.

120 *Possunt omnino.* Possunt omnino. Quia quamvis quidquid acquirunt serui, domino acquirant, maxime si in eo acquirendo vires debilitent: tamen id est intelligendum de tempore ad dominorum seruitium deputatos; neque enim serui, & ancilla sic à dominis possidentur, vt prædia, aut iuramenta, vt semper domino fructificent. Unde in foro conscientiarum id sibi acquirunt, quidquid sit de foro externo, modo dominus debito seruitio non fraudent, & vires suas nimium debilitent. Et licet poterunt sic acquisita retinere, ac iniuste dominis expendere: & lethaliter delinquent domini, furumque in seruos perpetrabunt, si ea lucra ab eis auferant, illis remittentibus. Sic Nauarra de resi. l. 3. c. 1. numer. 219. Fagund. Decal. l. 7. c. 11. numer. 10. & alij.

121 *Minimè possunt.* Minimè possunt. Quia domini habent verum dominium in omnes seruorum suorum operas, & in omnes corporales eorum actiones, & consequenter in omnes res, quas mediante his operis ac actionibus acquirunt. Nam ab initio cum serui in bello incho fuerint capti, iuste illi poterant à victoribus interim, & sub hoc pacto eis vita relicta fuit, vt in perpetua seruitute manerent: & domini ea conditione censentur eos vita donasse, vt quidquid in posterum suis acquirerent actionibus corporeis, dominorum esset, non ipsorum; & hoc pacto iure gentium seruitus fuit primo in orbem introducta. Reliquæ verò seruitutes, quæ postea emptionis titulo, vel delicti in penam fuerint inductæ, ad instar illius primæ inductæ videntur, nisi in harum aliqua iure equi facta sit aliqualis exceptio, vt in ea, qua pater filium vendit ob urgentem necessitatem, quæ mitior reliquis esse debuit. Ita communiter Doctores teste Molina ro. 1. de inst. d. 38.

122 *Ego quidem à communi hac mente recedo, & cum P. Molina, & Fagundez in primam sententiam inclino.* Ego quidem à communi hac mente recedo, & cum P. Molina, & Fagundez in primam sententiam inclino. Quia dominium in seruos non tam amplum ius tribuit, quam dominium in pecora, aut fundus. Et quamvis ab initio eo rigore seruitus fuerit inducta, tamen vltus postea pactum seruitutis declarauit, vt solummodo domini haberent ius in omnes illorum operas, quas recta ratio postulat; postulat autem ratio, vt non possideantur more pecorum, sed rationabili tanquam homine. Quare possunt, modo explicato, aliquid peculij acquirere, quod iuste furti minimè rei valent retinere: & domini non sine furto illis iniuste poterunt auferre.

PROBL. XXVII.

Servi captiui possunt, & non possunt licite se se ipsos a suis dominis furari, siue fugere in patriam, aut in alia loca, ubi libertate possunt.

123
Nonnulli
mitt.

Premitto, illos, qui se vendiderunt, aut quos eorum parentes in necessitatibus consilii pro pretio iusto tradidere, & qui instar caularum pecorum possidentur, licite aufugere non posse, nec ad fugam iuari. Idem dixerim de illis, qui ob supplicia digna morte iuxta leges patrias ob culpas eorum, veras quidem, a suis Principibus fuere pro captiuis habiti & postea aliis venditi. Solum igitur hic sermo esse potest de iis, aduersum quos iustum gerimus bellum, siue sint Mauri, siue Turcæ, siue quicumque alij hostes iniustum bellum aduersum nos mouentes. Possunt ne hi licite se se ipsos a suis dominis furari, id est in loca tuta fugere, ut se a seruitute excutiant: possunt ne licite ad id ab alijs iuari?

124
Possunt aufu-
gere ad suos.

Mancia bello etiam iusto capta, ut Mauri, & Turcæ iuste ac licite possunt aufugere, & consilio ac re ad id ipsum iuari, modo in patriam, vel in alia loca ubi possunt libertate recedant: non tamen ut per Regna, seu loca, ubi sunt serui, diuagantur. Quia illi licite possunt fugere, si a dominis occidantur, vel mutilentur: Ergo & ad recuperandam libertatem, quæ æquæ est ac vita pretiosa, captiuitas enim est mors ciuili. Igitur qui ad vitandam mortem possunt fugere, sic etiam ad vitandam captiuitatem. Dixi. *Modo per Regna, aut loca, ubi captiui sunt, non diuagantur.* Quia dum in Regno dominorum suorum morantur, seruire tenentur: unde consulentes & recipientes, tenentur damnum restituere: peccant enim contra iustitiam, nisi retineant, ut eos liberent ab iniusta dominorum diuexatione. Sic Nauarra de res. lib. 3. cap. 1. numer. 200. Alens. 3. part. quæst. 48. art. 3. numer. 2. Sotus l. 4. de iustit. quæst. 2. art. 2. concl. 3. Gregor. Lopez lib. 23. tit. 29. part. 3. Bañes 2. 2. quæst. 40. art. 1. Quarrun. lib. 1. variar. cap. 2. numer. 10. Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 34. quæst. 3. Sa v. Bellum, numer. 7. Lessi. lib. 2. cap. 15. dub. 15. numer. 24. Faguud. Decal. lib. 7. cap. 12. num. 21.

125
Aufugere ad
suos non pos-
sunt.

Mancia, quæcumque iustum bellum gerimus minime possunt ad suos a nostra potestate aufugere, si in nostram captiuitatem deducantur: & eis dantes consilium, aut operam lethaliter delinquant, & ad restitutionem tenentur pretij, & damni. Quia domini eorum sunt possessores indubitati, ac legitimi, & ipsi fugiendo, se ipsos a dominis furantur, ut habetur lib. 1. C. de seruis fugitiuis & lib. 30. eod. tit. Ibi enim statuitur, ut seruus deprehensus in fuga puniatur pedis mutilatione: at tam grauis pena iniuste sanè statueretur nisi serui lethaliter fugiendo delinquerent. Certe si iuste serui ad suos fugere possent, bellum ex parte vtraque iustum daretur: illi namque iuste possent aufugere, & domini illos iuste possent pedibus mutilare, aut trudere in carcerem, ne fugiant. Ita P. Molina rom. 1. de iust. d. 37. Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

concl. 1. Nauar. sum. cap. 7. num. 63. Glossa cap. lus gentium dist. 1. Fortunius ad lib. Manumissio, col. 4. D. Antonin. part. 3. tit. 3. c. 6. §. 4. Turrecrem. in cap. iugentium, dist. 1. Syluest. v. seruus, quæst. 3. dist. 2. Faüent cap. 1. & 2. si quis seruum 17. quæst. 9. ubi dicitur peccare lethaliter, & ad restitutionem teneri iuantes, & hortantes seruos ad fugam.

Primam sententiam fortiori hærentem fundamini teneo. Nam dominos iustos esse eorum seruorum possessores fateor: non tamen absolute, sed sub certa conditione, & cum quodam addito, nempe, si possunt fugere ad suos, fugiant: si uero victus ac damnatus ad tritemes post iustam sententiam iuste in carcere detinentur, & in tritemibus vinciuntur: & tamen etiam iuste ac licite aufugunt, cum carcera-rij quidem damno, si possunt. Imò etiam si serui in bello iusto capti, consensissent pacto persistendi in seruitute, haud tenentur illud seruare: quia metu mortis fuit præstitus illa consensus. Secus dixerim de illo, qui se vendidit, liberè privilegio libertatis renun- ciando.

126
Primam
sententiam.

PROBL. XXVIII.

Quando constas dominis huiusmodi seruos ad suos aufugere: possunt, & non possunt licite ob id ab eis puniri.

Possunt eos domini punire, non quod serui peccent fugiendo, sed quia hoc privilegium de fuga videtur illis concessum cum hoc onere in dominorum fauorem. Sicut in carcerati licite possunt fugere, & carcerem comminuere: & tamen si deprehendantur, iuste puniuntur, lib. 1. ff. de effractorib. Sic Lessi. lib. 2. cap. 15. dub. 5. numer. 27.

Minime eos domini licite punire possunt ob fugam huiusmodi initam. Quia posse eos licite aufugere ad suos habetur expresse lib. 23. tit. 14. part. 7. in Regis Castellæ ibi: Si seruus Maurum fugiat in Mauritaniam, & ibi pedem saluus ponat: manere liberum volumus, etiam si postea ad Christianos redeat. Ergo dominus non poterit licite seruum punire in fuga deprehensum, quam privilegio legis potest licite intrare. Ita nonnulli, quos preslo nomine affert Fagundez Decalog. lib. 7. cap. 12. numer. 25. & ipse videtur eorum sententia, hærescere.

Crediderim tamen licite posse dominos seruo inferre supplicium iuste fugienti. Quia eis non constat, an seruus ad suos aufugiat, qui potest fugam ad diuagandum per loca seruitutis accipere.

127
Possunt puniri.

128
Licite ob id
puniri non
possunt.

129
Hæc prius
sensit.



CAPVT XIII.

Circà Religiosorum furta.

PROBL. XXI X.

In furtis Religiosorum ex Monasterij bonis est, & non est peccatum lethale minor quantitas, quam necessaria est ad lethale peccatum in filiorum familiis furis.

130
Minor quantitas necessaria est, quam in filio.

MINOR quantitas in Religiosorum furtis ad lethale peccatum sufficit, quam ad filiorum lethale furtum. Quia Religiosi non inter filios, sed inter seruos seu famulos computantur: cum quidquid acquirunt, acquirunt Monasterio, sicut serui, qui quicquid acquirunt, dominis acquirunt, non sibi. At minor quantitas sufficit ad lethale seruorum furtum, quam ad lethale furtum filiorum. Adde, Superiores grauius castigant Religiosi furtum, quam patens furtum filij, in quo se plus inuitum ostendit. Sic nonnulli Iuniperi, quos pressio nomine affert. Fagundez Decalog. lib. 7. capit. 5. numer. 1.

131
Non sufficit minor quantitas.

Non sufficit minor quantitas ad furtum lethale Religiosorum, quam ad lethale filiorum furtum. Quia Religiosi respectu suorum Monasteriorum inter filios, non inter seruos, vel famulos computantur, cum de bonis Monasterij tanquam filij alantur, & uti filij, non ut serui tractari debeant. At ad lethale filiorum furtum maior requiritur quantitas, quam ad furtum lethale seruorum. Ita Sanchez lib. 7. de Relig. cap. 21. numer. 31. Rebel. lib. 3. de iust. part. 1. question. 15. section. 3. numero 22. Grassi part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. numero 51. Fagundez ibidem, numer. 2.

132
Hoc mihi certum.

Hoc mihi certum. Cum igitur de Religiosis sicut de filiis ratiocinatum sit, quantitatem necessariam ad lethale eorum furtum iam indico. Cum Monasteria plerumque egena sint, & Religiosi paupertatis loco adstringantur, non pro filiis ditissimorum hominum, sed pro filiis eorum, qui mediocri pollent facultate, eos quoad furtum regulare debemus. Vnde uti superius de hisce filiis diximus non peccare lethaler, si a parentibus inuitis clam vrentur quinque, aut sex argenteorum valorem ob rationabile praesumptam eorum voluntatem, ita de Religiosis dixerim, quantitatem maiorem quinque, aut ad summum sex argenteis furtum mortale constituere, nisi alia minor fuerit speciatim a Superioribus assignata. Certe licet Superiores minora Religiosorum furta grauius quandoque ferant, & seuerius corripiant, quam parentes, in quo se ostendunt inuitos: ad id quidem est, quoad modum clam accipiendi, & ob Sacrilegium veniale ob paupertatis votum, ac Regularis vitae institutum: non vero quoad substantiam praesumendum

est enim eos velle eam concedere facultatem, si ab eis efflagitaretur. At si id egerent quoad substantiam, irrationabiles sunt grauius autem venialiter Religiosi delinquent id gerentes, ob vitae Regularis perfectionem.

PROBL. XXX.

Religiosus minutatim furto accipiens quantitatem quinque vel sex Regalium, quae furtum graue constituit, peccat, & non peccat lethaliter mox, ac ultimo furtiolo eam quantitatem attingit.

Lethaler non peccat. Quia obiectum ultimi furti non est tota summa ad culpam lethalem requisita, & reliqua furta iam praeterite, quorum summa similiter quantitatem mortalem non attingebat, vnde nulla remanet ratio, ob quam mortale esse dicamus cum praeterita furta ad mortale non sufficiant, & acceptio ultimi hinc, & nunc mortalis non sit, & sit obiectum huius furtioli modo facti. Deinde quia in penalibus, & odiosis non fit poenarum coaccratiō, nec multi casus modici efficiunt vni ad poenam mortis sufficientem, ut docet Iason ad l. si idem cum eodem, num. 5. & 4. ff. de iurisd. domini. Indio. & Claudius num. 1. & 2. Sic Nauar. sum. cap. 17. num. 159. Vega in Trident. lib. 14. Grat. part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. n. 51. Lessi. lib. 1. cap. 2. dub. 8. num. 451. Carbon. de restit. qu. 3. sine.

Peccat lethaliter in illa vltima rei paruae acceptione si ad praecedentia animaduertat. Quia vltima acceptione posita, notabile damnum existit: & ea ablata, cessat, & quicumque animaduertit, ex actu suo leui subsequi alteri notabile damnum, illud gerendo, mortaliter delinquit. Et quia paruae quantitates in materia furti in vnum coalescunt. Ita Sotus l. de iust. qu. 4. art. 3. Sanchez lib. 7. sum. cap. 21. num. 6. Medina 1. 2. q. 88. art. 4. Valq. ibi. d. 146. cap. 2. n. 5. Rodrig. tom. 1. sum. cap. 150. num. 8. Vlent. 2. 2. qu. 10. d. 5. punct. 5. Fagund. Decal. lib. 7. cap. 5. numer. 4. Nauarra de restit. lib. 3. cap. 1. part. 1. dub. 5. numero 52. Tolet. libro 5. capite 16. numero 5. Rebel. de iust. part. 1. libro 3. quast. 15. sect. 4. num. 30.

Probabiliorem sententiam hanc esse iudicari. Nam etsi obiectum vltimae acceptionis per se acceptum, & ab aliis seunctum sit veniale: at ut adiungitur cum aliis praecedentibus furtis notabilem efficit quantitatem, & notabilem Monasterio damnum infert. Religiosus igitur minima accipiens ex Monasterij bonis, & sibi approprians, aut conferens externis absque Superiorum facultate, quando in vltimo furtiolo ad notabilem peruenit quantitatem, lethaliter delinquit.

* *

PROBL.

PROBL. XXXI.

Prelati, ac Superiores locales Religionis, verbi gratia, Abbates, Priores, Rectores, Abbatiffæ, &c. possunt, & non possunt sine furti reatu dare domesticis, & externis singulis mensibus duos, aut tres aureos de Monasterij facultatibus.

136 *Possunt hoc
Prælati loca
les sine iurati
re.*

Possunt Superiores in pia opera expendere, dare singulis mensibus sine furti præculo duos aut tres nummos aureos. Quia credendum est Prouinciales, & Generales tacite saltem huiusmodi Prælatorum localium facultati annuere, que videtur ad rectam administrationem pertinere. Sic aliqui, quos tacito nomine refert Azor. *rom. 1. libr. 12. cap. 12. quæst. 4.*

137
Minimè id
possunt

Minimè id Prælati locales possunt pro cau-
sa quantumvis pia de facultatibus Monaste-
rii aut Collegij plus quam decem aureos, vel
vna vice, vel minutatim impetire subditis,
aut externis, quantitas enim maior donanda
ad Provinciales pertinet, qui habent amplio-
rem iurisdictionem, & quasi Episcopalem.)
Quia si huiusmodi facultas Prælato locali in-
esset, ea posset cum maximo Monasterij, aut
Collegij damno abuti. Ita Corduba *sumg.* 54.
dub. ult. dicto 1. Ludou. Lopez *par.* 1. *instr.*
cap. 1 § 5. & lib. 1. de *contract.* cap. 40. Hieron.
Flamma *par.* 3. *metho.* cap. 13. § 15. Nauarra de
resist. lib. 3. *cap.* 1. *par.* 3. *dub.* 1. *fin.*

138 go quidem existimo, quantitatem quæ ad
Hoc existimo
prudencia de-ẽ Prælati localis libitum potest sine furti reatu
finiendum ac facultatibus conuentus expendi, arbitrio
arbitrio. prudentis definiendum esse. In ea autem arbi-
tranda hæc debere considerari iudicari: opes;
ac facultates Monasterij, dignitas Prælatu-
rum, vices occurrentes, ac quantitas quæ in singu-
lis impenditur, qualitas personarum, quibus
eleemosyna donanda, abundantia, vel penuria
terræ, Religionum, ac Superiorum consuetu-
do, & alia huiuscemodi. Quod à P. Sancio *ro.*
2. Decalog. lib. 7. cap. 19. num. 42. Molina tom. 2.
de iustit. 2. 76. a Suarior tom. 3. de Relig. lib. 8.
cap. 15. num. 13. didici.

PROBL. XXXII.

Religiosus expulsus acquirens sibi non liberatur à furti reatu, quicquid acquirit, acquirit & non acquirit Monasterio.

139
*Nemalis
superno.*
Suppono ex communi Doctorum Religio-
sum professum expullum nihil tanquam
proprium furti sine furti reatu acquirere posse,
neque habere dominium earum rerum, quas
post electionem in saeculo acquirit. Quia ma-
net verè Religiosus tribus voti substantiali-
bus adstrictus, licet in voto paupertatis, &
obedientiae non ita obligetur, ac si in Mona-
sterio maneret. Quæsierim igitur, cuinam ac-
quirat? An Monasterio?

140 *Non acquirit* *Monasterio.* Non acquirit Monasterio. Quia non est actu Monasterij membrum, nec illi subiectus.

nec de illius bonis alitur. Vnde si fit Religio-
sus exemptus acquirit Pontifici summo: si non
fit exemptus, sed subiectus Episcopo, acquirit
Episcopo, cuius est subditus. Sicut Nauar. com-
mento 2. de Regular. num. 33.

Probabilis prima sententia est, sed secundam probabiliorē, tenendamque iudico. At tamen licet Religiosus expulsi non habeat dominium eorum bonorum, quæ in sæculo post ejectionem acquirit, habet vsum, & commoditatem, & administrationem eorum. Quia quoad vidum, & vestitum, &c. à Monasterio non pendet. Possum autem licite & valide, dum viuunt, docare ad licita & honesta quidquid voluerint verbi gratia, ad dotem puellarum, ad capellæ instructionem, ad subueniendū egenis propinquis, ad redemptionem captiuorum, &c. Hæc enim omnia ratione huiusmodi vsus, & administrationis à Religione aduētiāntur, eis tacite concedi censetur. Non tamen possunt testari, quia testandi potestas voto paupertatis repugnati. Lege Sancium *tom. secundo à Decalog. lib. 6. cap. 9. num. 46.*

PROBL. XXXIII.

*Si Religiosus eietta aliquid in illicita expendat,
ille, qui ab eo accepit, tenetur, & non
tenetur ea Monasterio resti-
tuere.*

Tenetur quidem. Quia huiusmodi eieci
non sunt domini, sed administratores ad
usus tantum pios, licitos, & honestos: nec Su-
periores Religionis, nec ipsa Religio eis pos-
sunt concedere facultatem aliquid ad usus il-
licitos expendendi, ut suppono extract. de Re-
ligionis statu vltimo Volum. meæ Theologiæ
Moralis subiungendo. Sic nonnulli, quorum
sententiam valde esse probabilem docent.
Lecti. lib. 2. cap. 4. 1. dub. 15. num. 11; & Sanchez
tom. 2. Decalog. lib. 6. capite 9. numero 46. Fauci
Clement. 1. de statu Monach.

Non tenetur qui accepit, restituere Monasterio. Quia effectus valide potest (si non licet) bona, quorum administratione fungitur, in illicita.

illicita expendere; tota enim commoditas, usus ac dispositio illorum bonorum, et dum vivit, à Religione relinquatur, ac si Religiosus non esset. Ita Sanch. citatus, num. 47. Lessi. num. 113. Molin. tom. 2. de iust. d. 276. § d. 520.

¹⁴⁵ Certum ferè mihi, hoc probabilius esse, credere scilicet, huiusmodi effectos ita se habere, ac si non addit, cui in ea parte pareant, & cuius ductum sequantur. Unde quoad acquisitionem, & alienationem illorum bonorum perinde se habent, ac si sui iuris essent, & dominium illorum bonorum haberent. Et quamvis dum in Religione manebant ea facultas tam ampla eis licite, aut valide eis concedi nequebatur per expulsiōem eo ipso illis veluti à iure datur, cum iam pro tunc non maneat perfectè voto paupertatis tam stricte illigati. Peccatum vero, quod in illa illicita expensione committunt, non est Sacrilegium contra paupertatis votum, sed est instar peccati, quod seculares alij perpetrant sic illicitè sua bona expendentes: cum ipsi de huiusmodi bonis possint in vita dispendere, ac si merè seculares essent. Vti docet Sanch. ubi sup. num. 48.

PROBL. XXXIV.

Furtivus est, & non est Religiosus, qui volenti sibi aliquid notabile largiri, orat, ut alteri sui contemplatione donet.

¹⁴⁶ Est furti
reus.

Est furti planè reus. Quia Clemens VIII. prohibuit Religiosis munera donationes præter leviore quæque esculenta, & poculenta, seu ad devotionem, & Religionem pertinentia munuscula; nam in eo motu proprio, §. Id autè, in fine, dicitur: Prohibemus Religiosis missiones munerum non solum per se, verum etiam per alios directè, vel indirectè. At hæc videtur indirecta donatio: perinde enim videtur esse, ac si Religiosus tacite acciperet, & mittat amico, aut consanguineo, nam quod mea sit causa, meum quodammodo dicitur. Præterea ait, ff. de edendo; & consequenter etiam paupertatis voto adversatur, cum Religiosus disponat, & acquirat absque Superioris licentia; per votum enim hoc non solum, non potest Reli-

giosus sibi acquirere, sed nec alteri. Et quidem si hoc non sit indirectè dare, non apparet, quid per indirectam donationem intelligamus. Præterea quia l. 2. ff. de calumniar. ait: Non refert, an ipse pecuniam acceperit, an alij inserui dari. Tandem quia donata viro ab vxoris consanguineis censentur in dubio donata vxori, ut docet Sanch. lib. 6. de matrim. d. 26. num. 11. Ergo donata ab externo consanguineis, vel amicis Religiosis, eius intuitu Religioso donata censentur. Sic nonnulli, quos presso nomine indicat Fagund. l. 7. de cal. lib. 7. cap. 7. num. 1. & 2. Igitur est reus furti Monasterium prius eo, quod externo cuidam eius contemplatione fuit impensum.

Non est reus furti. Quia quando Religiosus offerenti, ac volenti sibi dare munus, dicit: ¹⁴⁷ *Acceptare non possum, nec ea re indige; sed gratum mihi facies, si consanguineo, vel amico pauperi largiaris, nihil acceptat, nec expresse, nec tacite, imò inhabilitatem suam ad acceptandum profiteretur, sed tantum intercedit, ac rogat, ut ille alij donet.* At si Religiosus prius expresse, vel tacite acceptaret, & postea dari amico peteret, tunc nec à furto, nec à voti paupertatis violatione excusaretur; non à furto, nam per acceptationem res Monasterio acquiritur: quidquid enim Religiosus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit: & sicut furti esset reus donando aliquid ex bonis iam à Religione acquisitis: ita & hoc donando, quod iam per acceptationem illius Religioni acquisitum manet, dum Superior tali acceptationi non contradicit, qua in re nullus prudens Superior contradicere censetur; non à voti paupertatis violatione, quia sine licentia donat. Ita Fagund. Decal. lib. 7. cap. 7. numer. 3. & 4. Sanch. lib. 6. de matrim. d. 4. num. 7. Sola libel. quo motum proprium Clement. VIII. exposuit, num. 73.

Idem censeo adiciens, huiusmodi Religiosum, qui rem sibi donatam absque vlla causa acceptare non vult, sed rogat alteri impendi, contra charitatem delinquere; priuat enim eo munere Monasterium. Causam tamen iustam non acceptandi crediderim esse, nè Superior cogitet Religiosum nimiam cum externis familiaritatem habere, maxime si ob id aliquid in Religione incommode patiretur.

¹⁴⁸ Idem censet.